

viri germana sententia est, non autem insita, & translatitia: sed postea ex Marię laudes in furorem euaserunt, & planè idololatricus cultus fieri cœpit, adeò vt ad illius simulachrum homines tanquam ad diuinum numen confugerent: Euagr. libr. 5. ca. 18. & illius etiam imaginem venerabundi ostentarent. Quod fecit illa Pulcheria soror Theodosii, ad quam Eudocia eiusdem Theodosii vxor, eam Hierosolymis & Iudęa Constantinopolin miserat, vti scribit Theodoret. Lector in Collecta.

2 *Clam post Christum.*) Erroris huius sectę summa, Mariam post editum Christum virginem non permansisse. Isidor. Nam errant qui hanc hæresin multiplicem constituunt. Quòd enim hæreticorum quidam Christum negant ex Marię substantia genitum, alii sine viri semine ex ea natum nõ concedunt: alii ex Maria Christũ paruulũ prodiisse non admittunt, sed iam plenę staturę hominem: alii denique virginem Θεοτόκον, .i. Dei matrem appellari non patiuntur, sed tantũ Χριστοτόκον, ad alias hæreses pertinet, non autem ad Antidicomarianitas. Cur autem hoc isti senserint, ratio est, primũ quorundam veterum authoritas, qui Mariam post Christum à Iosepho cognitam scripserunt. Alii autem malunt Iosephum mortua Maria ex alia vxore liberos suscepisse. Epiphanius autem censet Iosephum iam octogenarium fuisse, quũ Mariam desponderet. Alia Antidicomarianitarum ratio sumitur ex Matth. 1. versu 25. vbi Christus primogenitus appellatur. Sed vt Iurisconsulti respondent, Primus non ad sequentes, sed ad antecedentes tantũ refertur. Tit. de rebus dubiis. D. Est primus quem nemo præcedit. Est vltimus

mus